



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

130. Qualiter præsentatio ex præscripto foundationis, aut aliàs facienda coram Papa, fiat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

dum ea fit per patronum ipsum, quam per ejus procuratorem, vide apud Corr. l. 4. c. 6. n. 4.

Quaestio 130. Qualiter presentatio ex praescripto foundationis, aut aliis facienda coram Papa, fiat?

Respondeo: si patronus in Romana Curia praesens est, per se; vel si ab ea absens est, per constitutum ad hoc procuratorem praestare debet consensum suum, praesentando oratorem coram Notario Cancellariae vel Camerae ad recipiendos hujusmodi consensus beneficiales deputato & habenti facultatem à Papa, qui consensus sic in manibus praedicti Notarii praestitus per patronos habet vim praesentationis juxta decis. Rotae. 532. n. 4. p. 1. divers. valétque praesentatio perinde, ac si fuisset facta coram ipso meto Papa, etiamsi in mandato dicatur ad praesentandum coram Papa, vel, ut etiam dici quandoque solet, coram illius Datario, ut Vivian. in pr. juris patr. l. 6. c. 8. n. 23. apud Corrad. l. 4. c. 7. n. 34. licet enim praesentatio & consensus hujusmodi fuerit receptus per Notarium supra dictum à Papa ad id deputatum; non tamen iste actus attribuitur Notario, sed Papae, ut dictum in una Florent. parochialis. decis. 92. n. 12. ac ita praesentatio in manibus Papae fit per instrumentum, & sufficit consensus praebitus in Cancellaria vel Camera per patronos, valétque praesentatio de absente, nec requiritur iste ordo, quo utimur aliam, quando fit praesentatio coram inferiore servata forma, & apposito edicto juxta text. c. fin. in 6. Ita ferè ad hanc quaestionem respondet Corrad. cit. n. 34. & seq. qui etiam n. 35. hanc ponit formulam hunc praestandi consensum ac praesentandi; nec non admittendi praedictam praesentationem; quae extendi consuevit à tergo literarum apostolicarum, continentium talis beneficii patronati collationem, nimirum: Anno Dominicae Incarnationis. Die N. Titius, ad quem jus patr. & praesentandi personam idoneam ad beneficium N. ut praetenditur, spectat per D. Cajum procuratorem ejus ad beneficium dictum vacans Sempronium sanctissimo praesentavit, praesentationisque hujusmodi, ac literarum expeditioni consenserant, &c.

Quaestio 131. Qualiter, dum plures sunt patroni, facienda & admittenda praesentatio?

1. **R**espondeo primò: si plures praesentent per modum unius (hoc est, quatenus unum corpus commune efficiunt, seu unum collegium aliàve communitatem constituunt; quòd spectat etiam, dum praesentatio est penes plures haeredes unius ex patronis; hi enim habentur pro uno, & habent unam tantum vocem, adeoque respectu illorum praesentatio non competit pluribus ut singulis, sed pluribus tanquam uni, ac si competeret pluribus ut collegio, Garc. p. 5. c. 9. n. 225. qui proinde debent simul convenire ad praesentandum, ut Paul. de Citadin. pauld post citand.) si plures praesentent per modum plurium, omnes vocandi, ita ut, si unus, qui possit vocari, spernatur, praesentatio sit nulla, Castrop. loc. cit. p. 8. n. 1. & 2. citans Azor. p. 2. l. 6. c. 21. q. 21. & Abb. in c. quoniam. h. t. contra Jo. And. in c. quoniam. Sylv. v. jus patr. q. 11. Valq. opus de benef. c. 2. §. 1. dub. 7. n. 18. Less. l. 2. c. 34. n. 34. censentes non esse necesse vocari omnes, dum non per modum unius, sed per modum plurium (jure patr. nimirum spectante ad eos ut singulos) concurrunt plures ad praesentandum; sed firmam esse praesentationem factam à majore parte, quibus accedit Garc. p. 5. c. 9. n. 222. citans

in super Paul. de Citad. p. 6. q. 19. a. 3. Lamb. p. 2. l. 2. q. 2. n. 8. (qui etiam dicit esse sententiam communem) & alios, & plures Rotae decis. praecipue in una Callagur. beneficii. 4. Mart. 1594. coram Mantica, quam fusè refert Garc. n. 227. qui omnes dicunt, quòd, ubi sint plures patroni, possunt singuli praesentare, aliis non requisitis, quando jus patr. spectat ad eos uti singulos (quod in dubio semper praesumitur) & non ut universos, seu jure collegii; & sententiam contrariam Abbatis, Felin. Rochi procedere, quando, etsi jus patr. pertinet ad plures ut singulos, vigore tamen instituti vel consuetudinis soliti sint convenire. Item in praesentatione seu nominatione faciendae ad Capellaniam, in qua non debet fieri institutio à superiore, uti in capellania non collativa. Item in electione ad elemosinam aliquam faciendam, seu opus pium; quia hic ulterior actus non requiritur, sed sufficit sola nominatio; adeoque facta hac electione per majorem partem, minor pars non habet amplius, quòd fecerit; adeoque ali quo non vocato seu contempto, actus non valebit, etiam contempto non reclamante. Garc. n. 228. Verùm rationem hanc dat Castrop. quòd quilibet patronorum, etiam concurrentium per modum plurium ad praesentandum, habeat jus praesentandi intra tempus à jure concessum, quem voluerit: nemo autem privandus sit jure suo sine culpa, qualiter in praesente, si valida foret praesentatio majoris partis patronorum, aliis patronis non praesentantibus, dum adhuc tempus currit ad praesentandum, hi non praesentantes privantur jure suo, Aliam rationem dat Abbas, Roch. Felin. apud Garc. n. 223. nimirum ex regula Bartol. in l. omnes populi. ff. de justitia & jure, quam probant ibidem alii DD. quòd in his, in quibus consensus majoris partis praedictat minori, etiamsi pertineat ad plures ut singulos, requiratur, ut actus fiat simul, & debent simul convenire, l. ut suum. ff. de pactis. l. fin. c. qui bonus cedere possint. & ibi Greg. Lopez. Straca de decoctoribus c. p. n. 9. Ad quam tamen rationem respondet Garc. n. 224. ex Lamb. & de Citadinis; regulam illam procedere, quando factum majoris partis praedictat minori circa eundem actum; in praesente autem praesentatio majoris partis non praedictat minori quòd ad actum praesentandi; quia quilibet potest praesentare, quem voluerit.

2. Porro necesse non est, ut fiat hac vocatio per citationem personalem; sed sufficit, si edicta ab institute seu Ordinario publicentur de vacatione talis beneficii, ita ut in notitiis patronorum omnium possit devenire: hac enim publicatione facta erit in culpa, adeoque imputet sibi patronus, quòd non praesentavit, dum tamen per modum unius faciendae à pluribus praesentatio, omnes, quorum interest vocandi, ut determinato tempore congregentur, aliàs nulla erit nominatio; quia congregatio legitima non erit, Ita Castrop. loc. cit. n. 2. Dum autem aliqui nolent convenire (intellige, dum necessarium est, ut conveniatur in unum) si praesentatio spectet ad plures ut plures, & sint verum collegium, recurrendum est ad ea, quae tradunt Doctores maximè Felin. in c. cum omnes. d. c. constitur. Si verò non sint Collegium, Judex ad instantiam aliorum statuet illis terminum & locum, ubi conveniant (nisi in fundatione sit statutus) & tunc non comparentes faciunt se alienos, & praesentes poterunt actum celebrare, sicut tradit de capitulo & collegio Garc. n. 229. & 230.

3. Respondeo secundò: ad validam praesentationem requiritur, ut major pars patronorum consentiat